



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Micrologvs|| De Ecclesiasticis|| Observationibvs.||**

**Bernoldus <Constantiensis>**

**Antverpiæ, 1565**

49. De capite leiunij

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63426)

OBSERVATIONIBVS. III

cum precibus & oratione, & hoc ad matutinum & vesperum tantum, Missam quoque de quadragesima ad nonam cum genuflexione.

5 *De capite Ieiunij.*

CAP. XLIX.

10 **I**n capite Ieiunij, Missam dicimus ad nonam, & omnia facimus ut in quadragesima. Cum enim illi quatuor dies pro complemento quadragesimalis ieiunij præcipiatur, necessario quadragesimalem observantiam obtinebunt, videlicet ut tandem post vesperam ieiunium solvatur.

15 sicut in Canonibus præcipitur. quod tamen alio tempore statim post nonam solvatur, cum & Missa ad sextam celebratur. In hoc enim quadragesimale ieiunium ab alijs differt diebus, quòd in alijs

20 post nonam, in hoc autem post vesperam reficere debemus. Nec iuxta Canones quadragesimaliter ieiunare censetur, si ante vesperam reficimur. Ergo & in ijs quatuor diebus, similiter ieiunare debemus, si cum ijs quadragesimale ieiunium adimplere volumus. Vnde & Missa in ijs diebus, non ad sextam sed ad nonam merito

*Etiam quatuor illis diebus non soluedum Ieiunium ante Vesperas, æque atque per reliquum Quadragesimæ.*



ritò celebratur. Est enim ecclesiastica con-  
suetudò vt ad nonam reficiamur, cum  
ad sextam Missam celebramus: ad vespere-  
ram autem, cum ad nonam sacrificamus.  
vt ergo & in ijs diebus vsque ad vespere-  
ram ieiunemus, Canonicum est, vt & Missam  
ad nonam differamus. Sciendum autem  
nò solùm modernos, vt quidam putant,  
sed & antiquos à capite Ieiunij incepisse,  
cum & sanctus Gregorius ibi quadrage-  
simalia officia videatur initiasse. Sic enim  
in Gregorianis sacramentarijs siue gra-  
dualibus libris euidentissimè declaratur.

Initium quadra-  
gesimæ.

Subsequens tamen Dominica propriè  
initium quadagesimæ dicitur; vnde & 15  
42. dies vsque in Pascha computantur,  
quibus cum sex dominicas subtrahimus,  
non nisi triginta sex in abstinentia obser-  
uamus. Ergo à capite Ieiunij necessariò  
incipimus, si cum Domino ieiuniũ qua-  
draginta dierum cõplere volumus. Exin-  
de etiam orationem super populum iux-  
ta Gregorij institutione exordimur, quã  
nunquam dicimus, nisi cum & quadrage-  
simaliter ieiunare debemus. 25